

4^o

Philos.

986

A. D.

DE

HARMONIA PRÆSTABILITA

INTER ANIMAM ET CORPUS,

AMPLISSIMA

FACULTATE PHILOSOPHICA

CONSENTIENTE,

PRO

RECEPTIONE in EANDEM,

PUBLICÆ DISSERT

M. CONRADUS THEOPHILUS

MARQUARDT,

RESPONDENTE

JOH. CHRISTOPH. BOHLIO, Reg. Pruss:

ANNO MDCCXXII. D. XXII. APRIL. AB HORA VIII. AD XII.

IN AUDITORIO PHILOSOPHICO.

REGIOMONTI, LITERIS REUSNERIANIS.

VIRO
ILLUSTRI ET GENEROSISSIMO
CHRISTOPHORO
WILHELMO

de Scalstein/

Augusti Borussiae Regis in Wartens-
lebiana Legione pedestri Tribuno,

Et

Serenissimi Regni Heredis moribus studiis-
que formandis Praefecto,

Hereditario Domino in Snauten/ Muhlhausen/
Perkuicken &c. &c.

Mecenati Musarum Optimo,

Primum hunc ex cathedra superiori laborem, in
sui studiorumque suorum commendationem
ulteriorem, devota mente consecrat

Conrad. Theophil. Marquardt.

DE
HARMONIA PRÆSTABILITA
INTER ANIMAM ET CORPUS.

§. I.



Armoniam præstabilitam animæ & *Quid per*
corporis eam voco cogitationum cum *Harmoni-*
mutationibus corporis, motuumque *amintelli-*
corporis cum animæ voluntate con- *gatur.*
venientiam, qua DEus mentis mo-
dificationes ita ordinavit, ut, simul
ac corpus movetur, motui isti con-
veniant; corporisque mutationes
determinavit ita, ut cogitationibus mentis respondeant.
Quando ergo nulla in mente oritur cogitatio, quam non
certus in corpore motus, nec ullus in corpore morus per-
spicitur, quem non statim mentis cogitatio sequitur, har-
moniam inter corpus & animam esse dico.

§. II.

Mentem, animam, quæ mihi unum idemque sunt, *Mentis &*
id voco, quod sibi conscius est, i.e. quod multas sibi res *corporis de-*
ut præsentis sistit, ita, ut non tantum se ab iis, sed etiam *initiones.*
res ab invicem distingvat. Corpus autem aliud mihi nihil
significat, nisi talem machinam, quæ præter eam quam ha-
bet partium extensionem, in longum, latum, & profun-
dum, vim seu conatum quendam possidet statum suum mu-
tandi, imo & omni ei resistendi, quod suis quocunque mo-
do contrariatur mutationibus. Hinc cum omnis machina
tale sit compositum, cujus mutationes omnes in composi-
tionis modo fundantur, & exinde originem ducunt, inde

A

&

& omnes quas corpus patitur mutationes in ejus structura compositioneque querendæ erunt.

§. III

*Cartesius
male putat
corpus in
extensione
consistere.*

Notandum ante omnia CARTESIUM (*) uti ubique fere corpus, essentiam, naturam, materiam, confundit, male sibi corpus ut pure extensum concipere. Etenim ex essentia alicujus rei omnes ejus deduci debent affectiones; ex sola vero extensione omnes nunquam quæ corpori competunt mutationes derivabis. Sic motus, materiæ cohesio exinde derivari nequeunt. Equidem Prof. Math. in Academia Frisiorum MUYS (**) id demonstrare voluit, sed non adeo felici successu. Idem tentavit BENED. SPINOZA in Principiis Cartesii geometrice demonstratis. (**). Sed a solertissimis observatum est rerum naturalium scrutatoribus, dari præter extensionem hanc, quandam etiam in corpore vim, qua mediante se loco moveri adeo facile non permittit. e.g. globulus ex orichalco aut ebore confectus non figuram tantum rotundam habet, aut spacium implet, sed & impetum globuli alterius tamdiu sustinet, donec ejus superata sit resistentia. KEPPLE-RUS id primum observavit, & vim inertia; LEIBNITIUS vero ex principio rationis sufficientis idem demonstravit, & nifum f. conatum mutandi statum appellavit.

§. IV.

*Corpus non
cogitat, nec
anima par-
tes habet.*

Cum igitur cogitationes nostræ ex structura corporis ejus-

(*) Parte 2da Principiorum Philosoph. p. m. 25. 28. edit. Amst. 1692.

(**) WYERIGUILLIELMI MUYS, Med. D. Math. Prof. Ord. Elementa Phys. demonstratæ, prodierunt Amstel. 1711. 4to. sed nec ab eruditiss, nec aliis laudem merebantur.

(***) Prodierunt 1664.

ejusque compositione & natura non fluunt; (cogites enim partes aliquas in longum, latum, profundum extensas esse, illasque varie moveri, ut hunc vel illum situm, has vel illas recipiant figuras, aut insignem attingant magnitudinem, motum modo augeri, modo minui, attolli aut suppressi, & nullo modo explicare poteris, quomodo tibi conscius, aut cur cogitationem per aliquod tempus retinere capax sis) inde corpus sibi conscius esse & cogitare nequit. LOCKIUM hoc statuentem ex eo fundamento refutat WOLFF. (*). Iterum cum partes corporis earumque situs, figura, motus, neque ex eo, quod anima sibi conscia, neque quod principium suarum mutationum in se habeat, deduci possint, anima partes habere nequit. Et crasse adhuc philosophantur, qui sibi animam ut partes habentem sub figura quadam imaginantur. (**)

§. V.

In nos ipsos reflectentes experimur, simul ac objecta externa organa nostra sensoria vellicant, certamque in illis causantur mutationem, perceptiones quoque mutationibus in organis sensoriis factis respondent. e.g. aër tremulus cum in aures incidit, & per reiteratas vices in meatu auditorio fortior semper reflectitur, instrumentorum percipimus sonum. Radii luminis non tam subito ab objectis externis in oculos nostros se reflectunt, ac objecta externa nobis præsen-

A 2

(*) Met. c. 5. §. 741.

(**) Est ex eorum numero SIEUR de la CHAMBRE, qui systemate de anima (systeme de l'ame Paris, 1664. 4.) p. m. 372. dicit: l'ame a une étendue, qui occupe sans interruption, tout ce qui est enfermé dans les bornes du corps, ou elle est.

sentia esse putamus. Inde quoque factum, ut celebris alias Angelus, LOCKIUS, (*) idearum omnium originem corpori adjudicaret, quod tamen probari nunquam posse ostendimus in sequentibus. Observamus ulterius, quando ad ea quæ sensibus obveniunt attendimus phænomena, corpus nostrum fabricatum ita esse, ut anima nostra sive perceptionem, aut cogitationem, sive etiam imaginationem habere possit nullam, cui corporis non respondeant mutationes; imo ad nutum animæ quidam in corpore fiunt motus, surgo e. g. & abeo, quam primum surgendum abeundumque mihi esse censeo, pedem moveo, statim ac cogito, me illum movere velle.

§. VI.

Mens cum dolore in corpore & corpus cum ægitudine mentis concordat.

Porro observamus in statu corporis ægroto, mentem tædiosas admodum & molestas habere perceptiones; nec non in mentis ægitudine, corpus graviter affici, ac ad perferenda negotia ordinaria indispositum esse. Sic febris tertiana aut alia laborans non nisi desperata aut tristitia meditabitur, & melancholicum omnia, quæ corpus bene afficiunt, negligere videbis; imo delirantem propria aliquando corporis membra dilacerantem depræhendes. (**)

§. VII.

(*) JOH. LOCKIUS de Intell. hum. lib. 2. c. 8. §. 11. 12. dicit: Necessarium est, ut motus aliquis inde per nervos aut spiritus animales per partes aliquas corporis ad cerebrum, aut sedem sensationis continuetur, ut ibi in mentibus nostris particulares quas habemus ideas producat. Eum vero erudite refutavit M. KREUSCHNERUS doctissima differt. de idearum origine §. 13 p. 17. 18.

(**) Imo dolores sensusque alii nobis ex improvviso adveniunt, & mens nostra conscia, hæc non a se sola proficisci, nec ad se posse

§. VII.

Dantur quoque in corpore extraordinariæ sanguinis ac fluidi nervei commotiones, affectuum nomine insignitæ, mentem haud parum afficientes alterantesve. Cogites velim iratum, & præter truculentam faciem, & perturbatos mores, furibundum animum, mentem inquietam verborumque tonitrua cogitabis. Hominem tibi repræsentabis, qui cuncta dentibus dilacerare, oculisque flammam & interitum inferre offensori minatur. Mens nostra in ejusmodi statu nec quod verum nec quod bonum est agnoscit, sed ea sæpius eligit, quæ ut mala rejicit, ubi sedatis affectibus distincta distingvit a confusis. Neque admirandum hoc adeo est; affectus enim non est, nisi appetitus sensitivi aut averfationis sensitivæ gradus excellentior, & sic vel gratas vel etiam ingratas producere intendit perceptiones, oriuntur enim appetitus & averfatio ex boni malique repræsentatione. Cum autem repræsentationes factæ in utroque casu maximam partem confusæ sunt, ratio nulla remanet, cur potius ad hoc quam ad aliud se determinet anima, inde utrumque simul eligit. Et sic tot oriuntur inclinationes perceptiones gratas producendi, quot dantur boni malique repræsentationes, ut adeo anima sibi consulere nesciens confusa maneat, donec distinctiores de rebus præsentibus sibi formare potest conceptus. P. MALEBRANCHE hanc animæ cum affectibus convenientiam, legem vocat unionis mentis cum corpore. (*)

A 3

§. VIII.

pertinere ex eo solo, quod sit res cogitans, non item, quod alteri cuidam rei extensæ ac mobili adjuncta sit. vid. CARTESIUS part. 2. Princip. Philos. p. m. 25.

(*) P. MALEBRANCHE de inquirenda verit. lib. 5. c. 2. p. m.

§. VIII.

Mens crescit & decrescit cum corpore.

Neque animam cum corpore augeri & diminui præmittendum est. Invenimus enim infantes qui adhuc tenerimæ sunt constitutionis, paucarum rerum sibi conscios esse, nec bonum a malo, nec hoc ab illo posse distinguere, sed confusis ideis de rebus omnibus contentos esse, & sic corpore parvo, parva est & eorum anima, ubi vero ad rationis usum perveniunt infantes, sensim sensimque crescentibus annis crescit & anima, vires extenduntur, confusa commutantur in distinctiora, obscura in clariora: Ast ubi vires corporis deficere incipiunt, anima decrescit iterum, & qui antea excellentioris, jam hebetioris sunt ingenii, clariora illis fiunt obscura, & confusa, quæ distincte antea cognoverant.

§. IX.

Exinde harmonia mentis & corporis patet, non vero influxus physicus observatur.

Ex iis quæ (§. 5. 6. 7. 8.) diximus, clarum est, mentem cum corpore recte admodum unitam esse, quoniam cogitationes mentis tam accurate corporis motibus & vicissim mentis mutationibus correspondent, ut neque ea, quæ menti aut corpori accidere possunt, neque vehementissimi affectus aut ulla unquam ætas eam, quæ mentem inter & corpus datur, auferre queant harmoniam. Ne vero

318. edit. Genev. 1690. 4. ubi de affectibus agit, dicit; hæc est una ex legibus unionis mentis cum corpore, ut omnes inclinationes mentis, illæ etiam, quibus fertur versus bona, quæ nullam ad corpus habent relationem, sint comitatæ commotionibus spirituum animalium, quæ illas inclinationes reddant sensibiles.

vero subreptionis incurramus vitium, (*) nos nullum, nec animæ in corpus dominium, nec spirituum animalium in animam influxum, sed nudam cogitationum cum corporis mutationibus harmoniam observare notandum est. Tantum enim abest, ut influxum observemus physicum, ut utriusque potius phænomena coexistere saltem videamus. Quisnam sanus inde vero concluderet, unum alterius subesse potentiae? aut unum influere in alterum. (**) Res simul existere possunt, quoniam vel unam eandemque causam agnoscunt, vel simul sæpius fiunt e.g. vigiles noctu eodem tempore plateas obambulant, quo duello infelici unus ab altero interficitur, quis autem inde concluderet, eum qui vigilias exercet, interfectorem esse, aut duellantes effecisse, ut vigiles plateas obambulent. Unde hoc saltem observamus mutationes in mente eo tempore fieri, quo hunc vel illum motum habet corpus; quasdam oriri commotiones in machina corporis, dum eas volumus, quasdam vero suppressi, dum eas averfamur. Accedit, quod ne clarum quidem de dominio entis simplicis in compositum, aut de influxu rei materiatae in eam, quæ omnis materiæ expers est, habeamus conceptum, qui tamen omnino requireretur, si aut dominium aut influxum observaremus.

§. X.

(*) Vitium subreptionis illud est, quando in demonstratione rei alicujus præmissarum una aut altera sine sufficiente evidentia & probatione subrepat & vera esse a nobis nimium festinantibus præsupponitur. Imo quando in experienciis præconceptas opiniones, imaginationesque nostras pro ipsis venditamus experientis subreptionis quoque committimus vitium.

(**) WOLF. Log. c. 5. §. 11.

§. X.

*Tria expli-
cationis u-
nionis men-
tis & cor-
poris syste-
mata re-
censentur.*

Multo jam abhinc tempore eruditissimorum etiam Philosophorum solertiam haud minimo exercuit studio ardua quæstio hæc: undenam mentis cogitationes corporis convenient motibus, & cur nullæ in organa sensoria conveniant impressiones, quibus non certæ in mente respondeant alterationes? Omnium fere confessione ejus rei ratio in unione animæ & corporis quærenda est, sed dum ulterius, in quo unio consistat, quæritur, diversæ admodum eruditorum dantur sententiæ. ARISTOTELES & post eum SCHOLASTICI potissimum, rem hanc explicaturi statuebant: habere animam, quamnam nescio, in corpus potentiam, ut ad nutum isti producantur motus, qui representationibus, cogitationibusque ejus conformes sunt; corpus vero mediante motu, qui spiritibus animalibus imprimatur, animæ, quam ut tabulam rasam sibi concipiebant, objectorum externorum imagines imprimere, sicque & animā in corpus, & corpus vicissim in animam influere. Sed cum hæc nuda tantum sint vocabula; (§. 9.) CARTESIANÆ(*) doctri-

(*) CARTESIUS jam animæ potestatem in corpus & influxum corporis in animam aliquibus constringebat limitibus. Nam aliqua dari agnoscebat, quæ nec ad solam mentem, nec ad solum corpus referri debent. e.g. famem, sitim, animi pathemata v.g. doloris, titillationis &c. &c. Interim motum in cerebro excitatum mentem cerebro intime conjunctam diversimode afficere, prout ipse diversus est. Animam vero utpote in cerebro residentem glandulam pinealem in medio cerebri, inter cavitates spiritus animales continentes suspensam varie movere, prout impressiones in organa variant, & sic spiritus per nervos ad musculos deducere &c. Princip. Phil. p. 13. 213. & tr. de animæ passionib. p. 17. seq.

doctrinæ propugnatores CORDEMOJUS, FORGÆUS, MALEBRANCHIUS(*) influxus physici falsitatem agnoscetes, alia mentis & corporis unionem explicare coeperunt via; dicebant nimirum, nec animam corporis motibus, nec hos mentis cogitationibus veram & realem sed occasionalem tantum dare causam; DEum vero omni momento corpus ita dirigere, ut animæ voluntati obediat, & mentem determinare, ut ejus repræsentationes mutationibus corporis similes sint. Philosophi explicationem hanc vocarunt: Systema causarum occasionalium, priorem SCHOLASTICORUM vero: Systema influxus physici nominabant. Verum cum neque systema causarum occasionalium sua careat difficultate, quæ in sequentibus patebit; hinc Illustris BARO DE LEIBNITZ, uti quam plurimis inventis ita & hoc litteratum locupletavit orbem. Dicit nimirum, animam a DEO ita creatam esse, ut omnes, quas unquam habere possit, perceptiones sua sponte omnibus corporis motibus conformiter ex sua natura prodeant. DEum enim status, motus imo affectiones corporis omnes, antequam animam illi associaret, prævidisse, & ut illis omnibus anima respondeat, præstabilivisse. Nec non corpus a DEO tam artificiose conditum esse, statuit, ut observatis motus regulis omnes ejus mutationes, alterationesve indivulso se invicem sequantur nexu, voluntatique

B ani-

(*) De inquirenda veritate lib. 1. c. 1. p. 5. n. 2. Et ubi de passionibus animæ loquitur, unionem mentis & corporis a perpetua & omnipotenti DEI voluntate deducit lib. 5. c. 1. p. 312. conf. Illustrat. p. 9.

animæ ac cogitationibus exacte semper convenient. Inde systema harmoniæ præstabilitæ enatum est. (*)

§. XI.

Inisio de corpore posita de anima agemus.

Res hæc aliquo modo delicatior est, quam ut dictis absolvi queat, hinc paulo distinctius eam explicemus, necesse erit. Vir multæ eruditionis CLERICUS, (**) postquam & ARISTOTELICOS & OCCASIONALISTAS refutasset, ostendendo illos falsa, hos conjecturas pro ipsis vendere ratiociniis, suum in hac controversia equidem suspendit iudicium; interim tamen a proposito nostro ea propter haud desistemus. Cum vero duo in hac harmonia observantur subjecta, corpus & anima, antequam huius harmoniæ possibilitatem ostendimus, videbimus, quænam ex essentia & natura corporis fluant ejusdem mutationes; postea vero quærendum erit, annon & ex animæ natura statuum ejus deduci queant alterationes, & quænam earum ratio.

§. XII.

In corpore partes plurimas inter se differentes invenimus.

Corpus nostrum ubicunque considero illico mihi clarum est illud ex variis ossibus, membris, organis, nervis, venis, eorumque filamentis, arteriis, infinitisque partibus aliis, situ, figura, magnitudine ab invi-

(*) Nomen hoc ab ipso impositum LEIBNITIO primum reperitur in responsione ad Abbatem FOUCHERUM, quæ Ephemeridibus sapientum (Journal des Savans, M. Avril 1696.) inserta est. Eodem vocabulo deinceps usus est DOM. FRANCOIS LAMI traité 2. de la connoissance de soi meme. Paris 1699. publiée.

(**) JO. CLERICUS Pneumatol. Amstel. 1710. sect. 1. c. 6. p. 46. & p. 49. §. 16 dicit: nihil hic tutius occurrit candida ignorantia nostræ professione.

invicem multum distantibus constare. Partes hæ omnes pulcherrimo adeo inter se coherens nexu, ut una interserviat alterius usui, etenim venis, arteriis, fibris, variisque connectuntur articulis, omnibus, quæcunque corpori accidere possunt, mutationibus interservientibus. Ab organis sensoriis nervi ad cerebrum protensi sunt, ubi omnes communicant, & a quo iterum ad membra omnia determinantur. Nec non varia in corpore nostro reperiuntur fluida, ut sanguis, chylus, fluidum nerveum &c. Hæc artificiosa partium omnium dispositio corporis constituit essentiam. (§. 2.) Cum vero in corpore ut composito, nulla nisi, vel totius, vel etiam partium figuræ, magnitudinis, loci, situs, fieri possit mutatio, (præter has enim, affectiones entis compositi nullæ dantur) hæc autem sine mutatione loci fieri nequeat (*); omnis mutatio corporis fit mediante motu, in quo proinde uti in figura, magnitudine & situ eorum ratio quærenda erit. Motus in corpore suas semper observat regulas (**) & mox tardior, mox celerior, prouti nempe ejus organa majori aut minori vi percutiuntur; aut plures partes una vellicantur. Continuat ad cerebrum per fluidum nerveum, & ab eo, ad ea, quæ se moveri debent, defertur membra. Neque in instanti fit, sed sensim sensimque communicatur. Quo-

B 2

niam

(*) WOLFFIO id demonstrante. Met. §. 47. 65. 68.

(**) Regulas motus hic demonstrare & superfluum foret, & a scopo alienum, alienum, quoniam de iis in specie non agimus, superfluum, quoniam illas jam demonstrarunt & a priori & a posteriori HUGENIUS, MARIOTTE tr. de la percussion, ou choc des Corps. vid. imprimis Celeb. WOLFFIUS in Elem. Mechan. §. 778. seqq.

niam adeo motus ex præcedente motu provenire debet, hinc & pars corporis una quæ in motu est ab altera moveatur necesse est; verum activitas ista corporis, qua alterum movet, nec in materia, nec in essentia fundatur, ergo præter essentiam & materiam, tale quid in corpore statuendum est, a quo motus iste dependet, & hoc est vis de qua (§. 3.) locuti sumus. Vis hæc motrix in continuo nifu est statum suam mutandi, nam alias cum nuda confunderetur potentia, augeri & minui potest, vis enim omnis non nisi gradibus modificatur, uti extensum figura determinatum est. Et exinde simul patet, eam, quam DEUS in productione corporis ei concessit vim, movere posse sine nova creatione aut creati annihilatione. Præterea vis hæc concredita sine aliquo velocitatis gradu, nec lineæ directionis determinatione, concipi nequit, & mediante percussione peragitur. (*)

§. XIII.

Non Scholastica intelligitur qualitas occulta.

Notari tamen velim non de Scholastica vi, qualem inter occultas qualitates numerabant, sermonem nobis esse; sed de illa activitate, quam DEUS corpori cum illud conderet concredidit, ut se ad omnes status suos insequentes a se ipso determinare possit, iis observatis motus regulis, quas reliquis corporibus præscriptas invenimus, juxta partium suarum structuram & dispositionem. Corpus itaque ut Automatum cum JAQUELOTTO (**)

con-

(*) Inde LEIBNIT. Hist. Crit. de la Rep. des lettres Tom. XI. rien n'y arrive pas même par le choc des corps environnans, qui ne suive de ce qui est déjà interne, & qui en puisse troubler l'ordre.

(**) Mr. JAQUELOTT. Diaconus gallicæ Eccl. D. Friderici I.

consideramus servum repræsentans, cui summus iste artifex, DEUS, primo postquam illud effecerat momento, impulsus quoque dedit, ut per longum temporis spatium ex partium dispositione, structura & compositione, eos, quos Dominus ejus desiderare unquam possit, effectus edat. STURMIO (*) insigni alias Mathematico hæc inaudita

B 3

erant,

Regis Bor. traité de la Conformité de la foi avec la raison, Amsterdam. 1705. 8. hoc simili utitur. Scriptum hoc contra BAILII Diction. Histor. Crit. edidit. Occasio, ut vult pars XXVII. Act. Erud. germ. p. 192. hæc erat. BAILIUS dicto loco JAQUELOTTI libr. de l'existence de Dieu, non satis laudaverat, hinc religionem contra motus BAILII difficultates hoc libro defendere volebat. BAILIUS quidem sequenti anno Tom. III. des reponses aux Questions d'un Provinc. respondebat; JAQUELOTTUS vero ulterius Examen de la Theologie de Mr. BAILE edebat, ad quod BAILII responsio post obitum ejus publicabatur nempe 1707. in Entretiens de Maxime & de Themiste.

(*) JO. CHRISTOPH. STURMIUS Prof. Mathemat. Altorff. dissert. de idolo naturæ Altorff. ederat, in qua corporibus omnem præsciderat activitatem, hanc cum GUNTHER. CHRIST. SCHELHAMMERUS Med. Kiloniensium in libro de natura pro merito impugnaret; STURMIUS dissertationis suæ apologiam edebat. Et quia LEIBNITIO super Phys. Electivæ Tom. I. cum STURMIO antea lis jam intercesserat, hanc quoque ejus Apologiam impugnabat ostendendo non solum, quod STURMIUS ibidem §. 23. c. 4. concesserat: motus fieri vi æternæ legis a DEO latæ, nec opus esse novo DEI jussu, nova volitione, nedum novo conatu; sed etiam aliquam rebus impressionem creatam, in ipsis perdurantem tribuendam esse, alias enim DEI voluntas impotens esset, sequeretur quoque, nullam animam eandem numero manere, resque corporeas in

erant, postquam vero LEIBNITIUS se clarius explicasset, controversiam abrumpebat & ingenue fatebatur, inter eum & LEIBNITIUM non nisi in modo loquendi discrimen esse.

§. XIV.

Mutationes quomodo menti convenientes fiant?

Jam quomodo mutationes in corpore menti convenientes fiant? quæritur. Ubi notandum, de iis, quæ omnium confessione a mente non dependent, e. g. sanguinis circulatione, concoctione, ciborum incisione, comminutione &c. (*) nos hoc loco non acturos; sed de iis tantum quæ videntur quandam ab anima habere dependentiam, & quæ indicavimus (§. 5. 6. 7. 8.). Objecta externa sensus nostros dum ferunt, motum quendam organis sensorii imprimunt, & cum in istis nervi, ad cerebrum tendentes, fluido nerveo impleti inveniuntur, iisdem & fluido suo motum communicant; hoc cum ex subtilissimis licet globulis constet, quorum unus commovet alterum, hinc fit, ut motus impressus ad cerebrum continuetur.

(§. 13.)

fluxu consistere. vid. Acta Erud. Lips. M. Sept. 1698 p. 427. usq; ad 440. His STURMIUS insequenti anno respondebat, concedendo, res quoque creatas a DEO aptitudinem habere ad ulteriorem voluntatis suæ executionem, & ut sexagenarius senex, geminam Prof. habens concertationi finem imponit vid. Acta Erud. Lips. Mens. Maji 1699. p. 209. seq.

(*) Mechanismum in ciborum incisione declarat BORELLUS de motu animal. part. 1. prop. 87. p. 127. Comminutionem explicat FRANCISCUS BAYLE Instit. Phys. Tom. 3. tr. 11. de corpore animali lib. 5; Concoctionem autem PERRAULT in Mechanica animali part. 3. c. 2. p. 201; Circulationem sanguinis vero describunt HARVEVS & LOEWENHOECKIUS &c.

(§. 13.) Et quoniam ex cerebro nervi ad omnes corporis partes protenduntur, ibidem, ut ad eam, quam e. g. movere vult, corporis partem eat, determinatur. Statim vero ac fibrillæ istæ nerveæ in cerebro moventur, mens mutationes in corpore factas percipit, & dum super eas reflectit, seque ab objectis præsentibus distinguit, sibi quoque motus istius conscia est. e. g. Quando sonum percipimus, aër tremulus auriculam, auris partem extremam, afficit, & ab ea, utpote cartilaginosa in aurem reflectitur, inque meatu auditorio, per iteratas reflectiones invalescit. Hinc fit, ut tympani membranam concutiat, mediantibusque trium ossiculorum, mallei, stapedis, & incudis vibrationibus, tremorem ei imprimat, qui versus fenestellas rotundam & ovalem tendit, & utrique præfixam membranulam ferit, & sic aër quoque in cavitate ista contentus tremulus redditur, adeo, ut, & fibrillis nerveis tunicæ nervosæ tremor iste communicetur, & ab illis ad cerebrum perducatur. Unde quoque auditus respectu mentis est potentia eas sibi repræsentandi mutationes, quæ per sonum ab objectis corporeis causantur. (*) Idem fit in reliquis perceptionibus a sensibus originem ducentibus, imo & affectus tali modo, utpote qui nihil nisi extraordinariæ sanguinis & fluidi nervei commotiones sunt (§. 7.) explicantur, ut menti correspondeant. Quando autem nervi aut lacerati, aut constricti sunt, aut quocunque modo alio motus fluidi nervei aut immoratur, aut plane tollitur, tunc motus ei impressus ad cerebrum continuari nequit, neque desiderio animæ satisfacit (§. 6. 8.). Et hinc patet quomodo

(*) WOLFF. Met. §. 223.

do etiam corpus ægrotum menti respondeat (§. 6.) Rem vero ita se habere, vel exinde patet, quoniam sapissime etiam contra animæ volitionem quidam in corpore oriuntur motus. e. g. si quis ab ineunte ætate spectrorum apparitionem metuere solitus est, stultitiam suam ridebit quidem, ubi ad virium intellectus exercitium pervenit, sibi proponet, ut posthæc nunquam eam iterum committat. Interim solitarios aut tenebrosos ubi aspicit locos, aut etiam insolitos cum audit sonos aut tumultus, aquæ veluti frigidissimæ immersus, seniliter tremit, palpitat, colorem faciei mutat, oculosque an ad superos attollat, an ad inferos convertat, dubius hæret. Unde hoc? nisi a fluidi nervei commotione præter animæ voluntatem facta.

§. XV.

*Corpus lo-
qui potest,
& notiones
universales
formare
etiam sine
anima.*

Hinc cum loquela nostra, imo notiones universales, ipsæque ratiocinationes aut quæcunque mentis operationes aliæ certo modo corpus nostrum quoque alterent, aut in eo mutationem quandam producant; (constant enim verbis aut aliis signis, ad quæ proferenda certus sonus organa nostra licet insensibiliter tangens requiritur, & quidem hoc modo: Aër ex pulmonibus exspiratus per tremorem laryngis in motum tremulum concitatur^(*) & prout glottis magis minusue constingitur, vox acutior aut gravior. Emissa vox modificatur initio per solam oris aperturam variantem, secundo, ministerio linguæ, palati, dentium &c. Imo verbis licet scriptis diversos in nobis generari affectus, experientia ipsa loquitur:) hinc & eorum ratio exstructura

(*) Vid. AMMANNUS Dissert. de Loquela c. 1. p. 24. usque 27. LAMI l'Art. de parler Lib. 2. c. 2,

ra corporis nostri (§. 2. 12. 14.) aut ex vi ei concessa (§. 13.) deducenda erit. Cum vero omne id, quod ex rei alicujus natura & essentia fluit naturale est, (*) ergo etiam loquela, notiorum universalium & ratiociniorum formatio naturaliter fiunt, imo sine influxu animæ in corpus aut immediato Summi Numinis concursu, ex propria corporis natura. Unde quoque facile judicare licebit, omnes omnino corporis mutationes eo, & non alio, se invicem secuturas ordine, prout se hodie sequuntur, licet anima nulla adesset, hoc saltem cum discrimine; corpus aliqua agere non cognosceret. Interea hoc non nisi per fictionem Metaphysicam dicitur, supponendo id, quod naturaliter evenire nequit. LEIBNITIUS hoc jam ostendit (**) in Responsione ad BAILII Objectiones 2dæ Edit. Diction. Historic. Critic. exemplo Julii Cæsaris.

§. XVI.

Sed fontem aperuimus, ex quo harmoniæ præstabilite vim diluere forsan poterit ingeniosus opponens, tela forte adversario in manus dedimus, ut proprio nos jugulet

C

(*) Metaph. §. 630.

(**) Histoire Crit. de la Republ. des lettres Tom. XI. p. 89. tout ce que l'ambition, ou autre passion fait faire à l'ame de Cesar, est aussi représenté dans son corps; & tout les mouvemens de ces passions viennent des impressions des objets joints aux mouvemens internes, & le corps est faite en sorte que l'ame ne prend jamais des résolutions, ou les mouvemens du corps ne s'accordent; les raisonnemens mêmes les plus abstraits y trouvent leur jeu par le moyen dans caractères, qui les représentent à l'imagination. En un mot tout se fait dans le corps, à l'égard du détail des phenomenes.

let gladio. Nonne res inaudita proflus, machinæ, qualis est corpus nostrum, non veritates indagandi solum, sed & dijudicandi potestatem tribuere? (§. 15.) quotne abstrusissimæ ab ingeniosissimis etiam inventæ sunt veritates, & has omnes corpus sibi ex sua natura repræsentaret, sine ope animæ, forsan & alias veritates, sive DEI, sive rerum mundanarum aut coelestium scientiam concernant, invenire poterit corpus? Ceterum actionibus aliqua inesset necessitas, si ad id, quod agit corpus, aliunde determinatum jam foret; neque judicare posset homo, rectumne agat nec ne?

§. XVII.

Responsio.

Absonum non est, nec inauditum, tali machinæ, qualis est corpus nostrum, quasdam attribuere mutationes ex natura & essentia ejus provenientes. Non enim pure extensum est, aut ex inani constat materia; sed præter essentiam suam, & vim, sive agendi principium habet (§. 14.), quod semper activum est (§. 12.), adeoque quasdam etiam producere potest mutationes. Dicere autem possum, veritatum indagacionem etiam illi competere, aut ab eo repræsentari, sive enim percipiamus, sive nobis imaginemur rem aliquam, imo mentis repræsentationes omnes a certis in corpore comitantur motibus (§. 14.); hinc cum ratiocinationes, tales saltem postulant repræsentationes, in corpore repræsentari quoque possunt. Sic notiones universales verbis constant, & licet ea non semper proferamus, proferendi tamen conatus semper adest, & quoniam hæc toni sunt auditui distinguibiles, & consequenter tales, qui in corpore per tremorem in aure & cerebro repræsentari possunt; Ergo & notiones universales in corpore repræ-

sen-

sentantur. Nam vocabulorum primi inventores ex rerum intuitu certos tonos formandi eosque lingua proferendi commoti sunt. Unde ex commotione in organo sensus facta, motus ad formandas voces necessarius ortus est. Tonum vocum audire, hinc novi in organis & cerebro motus, priori ex aliis sensibus genito, ibidem se conjungentes. Ut adeo hæc sit cerebri conditio, ut duabus, in eo ortis commotionibus, una post hæc ex altera fluat. Cognitio quoque symbolica in corpore repræsentatur, ibi enim vocabula loco rerum nobis repræsentamus, ea autem repræsentari posse (§. 15.) ostensum est. Jam cum veritatum etiam indagatio aut dijudicatio, sive symbolica, sive intuitiva nititur cognitione, ergo & has repræsentari posse in corpore certum est; sicque nec harmoniæ præstabilitæ ex isto fonte dilutio, nec interitus a proprio nobis metuentus erit gladio. Actionum vero necessitas exinde nulla sequeretur, sed tantum certitudo, id autem quod certum est, non statim necessarium esse quis ignorat? Est quidem quoad actus illos necessitas aliqua, hæc vero libertati animæ neutiquam præjudicat, unum enim idemque est an corpus ab anima, an vero a propria natura ad hos illosve determinetur motus. Anima interim actiones edendas intelligit, actiones in se sunt contingentes, motiva quoque certitudinem saltem inferunt; hinc anima judicare libere potest rectumne agat nec ne, & libera manet.

§. XVIII.

Confirmat quoque quotidiana experientia fieri in corpore ejusmodi motus sine animæ voluntate, qui maxime rationales sunt, præsertim, ubi in re aliqua consuetudinem nacti sumus, e.g. aliquoties ea loquimur, quæ re-

Experientia etiam docet tales mutationes in corpore dari.

ticere volebamus; idem quoque fit in aliquibus somniantibus. Item qui solitus est omni vespera veste se exuere, illamque justo loco & ordine seponere, simile præstabit, licet pocula hilaritatis ad ebrietatem usque evacuarit.

§. XIX.

Mens non est corpora, nec compositum, sed simplex, substantia, vim habens a qua omne, quicquid ab ea provenit, dependet.

Nunc ad alteram harmoniæ partem, animam, devenimus. Cogitatio cum non competat corpori, quoniam ex ejus natura & essentia deduci nequit. (§. 4.) Sed hæc fit mentis notio (§. 2.); hinc nihil corporei in mente nobis concipere debemus. Imo cum mens nostra omnis partis expers, (§. 4.) hinc nec compositum sed simplex erit, & sic etiam per se subsistens. (*) Quoniam autem omnes substantiæ, principium suarum mutationum in se habent, & hoc nihil aliud est, quam vis quædam ei competens; (**) inde concluditur, & animam tale principium suarum modificationum in se habere, quod cum LEIBNITIO (***) concentrationem universi, sive vim sibi universum juxta illud, quod in universo occupat punctum, aut statum, repræsentandi, vocamus. Exinde enim omnes oriuntur animæ modificationes, & inter se, & a modificationibus alterius animæ dignoscuntur. Consequenter ab unico hoc prin-

(*) WOLFF. Met. (§. 125. 126. 127.)

(**) Ibid. §. 114. 115.

(***) Vid. Monadol. p. 70. ubi LEIBNITIUS Systema suum harm. præstabil. defendit: dicens: Es ist besser daß man sagt! Gott habe in eine jede Seele eine Concentration der Welt / oder die Krafft gelegt / wodurch Sie sich das ganze Welt-Gebäude / nachdem ihr eigenthüml. Punkte, den Sie in der Welt einnimmt / und woraus Sie dieselbe betrachten kan / vorzustellen vermögend sey.

principio modificationum in anima, quicquid de anima ullo modo prædicari potest, partes enim nullas habet, quoniam simplex est, dependebit. Et sic eadem animæ vis mox perceptiones, mox imaginationes, mox ratiocinia, mox ideas confusas aut distinctas, mox appetitum aut averfationem, mox voluntatem aut noluntatem producit, prout nempe tales vel tales tum temporis in corpore inveniuntur mutationes. Unde simul clarum est, in ista vi repræsentativa universi, animæ essentiam & naturam consistere, omnes enim ejus modificationes inde derivari possunt (per dem.) & per eam aliquid agere valet anima.

§. XX.

Statim ac DEUS Automaton hoc immateriale, animam puto, perfecerat, illi hanc quoque concedebat vim, ut sibi mundum repræsentaret, (§. 19.) & quidem ita, ut ejus repræsentationes mundo quem sibi præsentaret, ad minutissima utut confuse, similes sint, quoniam alias non hunc, sed alium plane sibi præfigeret mundum. Anima mediante hac vi percipit corpora, adeoque & composita in sensus incurrentia, i. e. eas, quæ in ipsa jam sunt, devolvit ideas; ea quæ alia vice aut percipit aut combinavit sibi imaginatur, & sic dum super hanc rem reflectit, ac recordatur se tales alia vice jam habuisse perceptiones, cogitat. Cogitationes a cognitione intuitiva initium capientes, haud interrupta serie continuantur, vel enim per regulam imaginationis, ubi mediante similitudine rerum, quas percipimus cum perceptis olim, vel per Syllogismos, vel etiam per eam quam cum corporis mutationibus convenientiam habent, nova semper cogitamus. Est enim in rebus corporeis certus ordo, quoniam omnia in mundo

Uterius deducitur.

sive spatium sive tempus consideres in se mutuo fundantur, (*) hinc cum anima & minima sibi repræsentet in universo (per dem.): Cogitationes quoque eum, quem res corporeæ, observabunt ordinem, consequenter eodem fiunt tempore. Tali modo elegantissima inter corporis mutationes mentisque modificationes semper adest harmonia, nec quicquam corpori accidere potest, quod non statim repræsentatur in mente, nec ullæ in mente oriuntur repræsentationes, quæ non statim in corpore aut repræsentantur, aut repræsentari minimum possunt. DEUS inde hoc Automaton initio ut artifex horologium suum commovit, ut deinde status suos, juxta ordinem rebus corporeis conformem, ex propria sua vi evolvere queat, (**)

neque ulla re ad eas quas habet modificationes indigeat,

§. XXI.

Anima ita ac hodie se modificaret, licet nullum corpus, nullum universum existat; ubi additur Scholion.

Ergo etiam anima ita ut hodie modificaretur, notiones universales, ratiocinia, formaret, sibi que imagines fingeret, licet nullo juncta esset corpori, imo licet nullus existeret mundus. Vidimus enim (§. 20.) neque corpus neque mundum aliquid ad ejus conferre modificationes, sed

(*) Met. §. 558. p. 297.

(**) Histoire des ouvrages savans Juillet 1698. LEIBNITZ contra BAILII objectiones in prima Diction. Crit. edit. ubi dicebat: se concipere non posse quomodo anima, ut simplex & indivisibilis substantia pendulo comparari possit, regeat: je n'ai comparé l'ame avec une pendule, qu'à l'égard de l'exactitude réglée des changemens, qui n'est même qu'imparfaite dans les meilleurs horologes, mais qui est parfaite dans les ouvrages de Dieu, & on peut dire que l'ame est un automate immatériel des plus justes,

sed illas unice ex ea, quam DEUS ipsi concessit vi, decenter, ordine, rebusque corporeis conformiter, semper evolvi. Idem vero hoc loco notari velim, quod de corpore (§. 15.) annotavimus, scilicet animam easdem perceptiones habitutam, licet corpus nullum aut universum existeret, non nisi per fictionem dici Metaphysicam & ut ostendatur omnes animæ status ex sua solum natura sequi. Uti hoc jam notavit Illustris LEIBNITZ in Historia Operum Sapientem 1698. M. Jul. (*) In Responsione ad BAILII Objectiones.

§. XXII.

Ubi jam & corpus & animam accurate consideravimus, harmoniæ præstabilitæ possibilitas (§. 11) ostendi facillimo negotio poterit. In corpore omnia membra, *Harmonia præstabilitæ possibilitas ostenditur.* omnes partes artissime cohærent, nulla in iis fit mutatio, quæ in præcedente alia non fundetur, nullus motus, nisi alius præcesserit, in quo etiam corporis essentia consistit. (§. 12.) Neque dubius aliquis ideo hæreat, nam in mundo ipso, quem seriem rerum mutabilium, coexistentium & successivarum voco, omnia sive spatium sive tempus consideres, sibi invicem juncta reperies. (§. 20.) Ex quo fit ut Astronomi corporum coelestium motum, situm, Phænomena prædicere, ac leges utrique præscribere queant. Imo quoniam semper pars una post alteram hujus seriei corporis organa sensoria vellicat, hinc & corporis mutationes

(*) Fatetur ibidem: Lors qu'il a dit que l'ame, quand il n'y auroit que Dieu & elle au monde, sentiroit tout ce, qu'elle sent maintenant, il n'a fait qu'employer une fiction, en supposant ce qui ne sauroit arriver naturellement, pour marquer, que les sentimens de l'ame ne sont qu'une suite de ce qui est déjà en elle.

tiones omnes inter se connexæ sint, necesse est. Præter eam, quam corpori tribuimus essentiam, vim quoque a DEo concessam habet statum suum mutandi (§. 12.) & ex hac vi aut natura, ex hoc mutationum in corpore principio, & ex commotionibus objectorum sensus incurrentium, omnes quotquot corpori accidunt alterationes proveniunt, (§. 14. 15. 17.) etiam si anima ipsa non adesset. (§. 15.) Jam cum & anima suam habeat naturam & essentiam, a qua omnes modificationes ejus derivandæ sunt; (§. 19.) atque ita a DEo præordinata sit, ut ex vi ei concessa omnes status suos mundo conformiter evolveret; (§. 21.) licet nullum corpus aut universum adfit. (§. 21.) Inde ut in continua sint harmonia necesse tantum est, ut initio animæ suum corpus, cogitationibus suis conforme; corpori vero anima jungatur, quæ ad ejus mutationes jam in antecessum præparata erat, quo ipso & corpus & anima, licet quælibet harum ex propria vi sua agat, ita semper convenient, ut nulla sit modificatio mentis, cui corporis mutationes, nec ullus motus in corpore cui animæ non respondeant modificationes. Et in eo harmoniæ essentia consistit. Jam quoniam impossibile est, ut id quod hoc modo possibile est, eo modo quoque impossibile sit, impossibile enim est, idem simul esse, & non esse, harmoniæ vero essentia in possibilitate consistat, ergo impossibile est hanc harmoniam esse non posse. Quoniam igitur oppositum ejus contradictorium est; ergo ea, quam explicavimus harmonia necessario esse potest.

§. XXIII.

Ratio existentiæ harmoniæ Ne autem a nuda rei possibilitate ad ejus existentiam erronee concludamus, nihil autem sine sufficiente ratione

ratione cur potius sit quam non sit, fieri potest, hinc & ratio indicanda quare harmonia præstabilita inter mentem & corpus vere existat. Eam existere (§. 5. 6. 7. 8. 9.) loquuntur, ratio vero sufficiens existentiae ejus, in nexu universalis rerum hujus universi quaerenda est. Nam mundi plures possibiles sunt, series enim rerum, in istis contentarum, alio atque alio connecti possunt modo. Mundi hi possibiles non nisi gradu perfectionis ab invicem differunt, sunt enim ejusdem speciei entia. Jam cum DEus ex aliis pluribus æque possibilibus hunc mundum elegit, ergo illum optimum esse intelligitur, i. e. majorem perfectionis gradum habuisse quam reliqui mundi possibiles; Ita, ut in eo res omnes omnesque earum status tam quoad spatium, quam quoad tempus cohæreant. Perfectionem enim convenientiam variorum appellamus. Hinc cum in hoc mundo quem ad existendum perduxit divina voluntas, res omnes inter se connexæ sint; DEI enim voluntas fons & origo est existentiae rerum omnium, & quoniam hæc voluntas optima, motiva quoque optima habeat necesse est, quæ non aliud sunt, nisi perfectiones excellentiores. Ergo corpus quoque & anima convenire debent; consequenter harmonia præstabilita vere existit. Hinc ubi ex me existentiae harmoniæ præstabilitæ rationem quæris, mundi optimi conditionem eam requirere respondeo.

§. XXIV.

Accedit, nihil dignius esse divina sapientia ac potentia quam systema hoc harmoniæ præstabilitæ. Nam cum corporis mutationes omnes ex ejus natura & essentia fluunt adeo, ut absente etiam anima corpus ex ea quam habet vi loqui, ratiocinari, omnesque perceptiones ac cogitationes

monie præstabilitæ est optimi mundi conditio.

Non alia via sapientia divina incedit.

rationes habere possit (§. 12. 14. 15. 17.) inde ejus auctor DEUS multos in ejus compositione sibi proposuit fines. Quantane ergo sapientia infinitis in corpore musculis, innumeræ nerveorum filamentorum multitudini, infinitis membrorum partibus, quæ cultro Anatomico subjectæ novas iterum machinas constituunt, talem præscribere nexum, ut unum alterius inserviat commodo, omnium vero operationes ad unum tandem scopum colliment, & quidem ita, ut alterius substantiæ voluntati optime respondeant! Quantane potentia, diversas jungere substantias, illisque leges in secula præscribere, ut una quæque harum eas observet, aliamque nec turbet nec in suis impediatur mutationibus! & tamen hæc omnia in harmonia præstabilita velut in compendio conspiciuntur, ipso BAILIO oppugnatore teste. (*) Imo quoniam DEUS secundum sapientiam suam nunquam sine fine agere aliquid potest, hinc nec modo miraculoso agit, quod agere potest naturaliter. Consequenter harmoniam præstabilitam ubi omnia naturaliter fiunt omnibus modis aliis quicunque illi tandem fuerint, præferre debuit. Ex quo simul patet, quænam LEIBNITIO mens fuerit, cum putaret, impossibile esse DEUM, prouti est infinite potens ac sapiens, alia in unione animæ cum corpore incedere posse via, quam quidem per harmoniam præstabilitam. (**)

§. XXV.

(*) Dict. Crit. f. 2610. Il ne se peut rien imaginer, qui donne une si haute idée de l'intelligence & de la puissance de l'auteur de toutes choses. Et LEIBNITIUS in responsione ad BAILII objectiones hoc ut probationem suæ sententiæ assumit. Hist. Crit. de la Republ. des lettres Tom. XI. p. 93.

(**) Réponse aux Reflexions contenues dans la seconde Edition

§. XXV.

Quilibet quoque exinde colligere facile poterit, *Ex harmoniam præstabilitam DEUM auctorem præsupponere.* Nam cum neque corpus nec anima fato convenient, im- *stabilita DEUM esse colligimus.* pingeretur enim tali modo in principium rationis sufficientis; sed a DEO omnem quam possident vim concessam habeant. (§. 13. 20) Ergo & is solus eam instituere potuit (§. 22. 23. 24.). Illustris BARO DE LEIBNITZ mentis & corporis harmoniam ex harmonia universali deducit. (*)

§. XXVI.

Exemplo harmoniam præstabilitam illustrare placet. *Exemplo Ponamus duo horologia, quæ sciens artifex; licet pretio, horologii mole, materiæque dignitate, situ & loco plurimum differant, tam artificiose componit, ut, sine omni influxu mutuo & ulteriori artificis concursu, hac vel illa stella circum meridionalem ingrediente, utriusque stylus numerum XII. indicet, stylo quoque altero minuta prima vel etiam secunda ingressus alius stellæ ostendente. Neque per* *barometri illustratur.* *D 2* *diem*

du Dict. Crit. de Mr. BAILE, la quelle se trouve dans l'histoire Crit. de la Republ. des lettres, Tom. XI. p. 85. il faut dire, qu'il est impossible, que Dieu en use autrement; étant comme il est infiniment puissant & sage & gardant en tout l'ordre & l'harmonie, autant qu'il est possible.

(*) Histoire Crit. de la Rep. des lettres l. c. p. 85. ce qui paroît si étrange, est une conséquence certaine de la constitution des choses: de sorte, que le merveilleux universel fait cesser & absorbe, pour ainsi dire le merveilleux particulier, puisqu'il en rend raison. Car tout est tellement réglé & lié que ces machines de la nature, qui ne manquent point, Conf. Essais de Theodicée p. 113. §. 62.

diem unum sed per longa temporis intervalla convenientia ista observari posset. Aliud in Act. Er. Lips. A. 1714. p. 380. exemplum inveni de duobus barometris(*) quæ in eodem loco & aëre posita quam accuratissime & concordanter omnes frigoris calorisque gradus sine discrimine ullo ostendunt, etiam si fistula unius altera paulo latior existat, quo in casu gradus caloris unius alterius gradibus minores sunt. Jam si in horologiorum aut etiam barometrorum locum animam substituas, & corpus, absque mutuo dominio, aut concursu miraculoso tibi concipere poteris, quomodo possibile sit, ut status animæ omnes, cogitationes, perceptiones, & quæcunque modificationes aliæ, cum iis qui in corpore fiunt motibus (corpus enim ut extensum, figuram, magnitudinem, latitudinem &c. habens, omnes mutationes suas mediante motu patitur) concordare queant ac convenire; Item quomodo corporis mutationes animæ respondeant voluntati. Uti autem horologiorum aut barometrorum concordantia auctorem a cujus institutione de-

(*) Concordantia ejusmodi Barometra possidet Cel. WOLFFIUS, quæ anno 1714. ab inventore *WOLFFIUS* dono accepit, ea adhuc anno 1721. d. 8. Oct. ubi ego illa vidi, invariato concordarunt ordine. Detegit eorundem artificium citatus AUCTOR Aërom §. 65. nempe unum initio conficitur barometrum, ad ejus exemplar præparatur alterum, ita ut ambo spiritu vini tincto impleta, nivi vel etiam glaciæ fale permixtæ imponantur, quo ultimus frigoris gradus annotari queat; porro frigus sensim sensimque moderatur, tandem ambo calidiori & calido inferuntur aëri, imo ultimo manui imponuntur, ut adeo gradus omnes, summus etiam, annotari possint.

dependet, præsupponit; Ita etiam mentis & corporis harmonia sine auctore DEO esse nequit. (§. 25.) Hoc inferre quoque poterit ad illustrandum LEIBNITII locum (*) ubi de harmonia agit.

§. XXVII.

Possumus systema harmoniæ præstabilitæ & a posteriori probatum dare, nimirum ostendendo systematum præstabilitæ aliorum falsitatem. Tria dantur Systemata (§. 10.) sive a re-
modi explicandi unionem mentis & corporis: Systema in-
fluxus physici, causarum occasionalium, & harmoniæ aliorum
præstabilitæ. Jam duo priora falsa sunt; ergo unicum systema-
harmoniæ præstabilitæ Systema verum erit. Minorem ut-
batur;
probemus tam Systema influxus mutui, quam causarum oc-
casionalium proponendum, refutandumque nobis erit. *Hinc initio*
SCHOLASTICI cogitationum cum motibus corporis con-
physicus,
venientiam explicaturi putabant, per organorum sensorio-
rum commotionem fluido nerveo motum imprimi, men-
tem ad has illasve determinantem perceptiones; animam *in quo consistat, ostenditur.*
e contra potentiam quandam habere in spiritus animales

D 3

ac

(*) Essais de Theodicée III part. p. m. 309. §. 291. J'y fais voir que naturellement chaque substance simple a de la perception, & que son individualité consiste dans la loi perpetuelle qui fait la suite des perceptions qui lui sont affectées, & qui naissent naturellement les unes des autres pour représenter le corps qui lui est assigné, & par son moyen l'univers entier suivant le point de vue propre à cette substance simple, sans qu'elle ait besoin de recevoir aucune influence physique du corps; comme le corps aussi de son côté, s'accommode aux volontés de l'ame par ses propres loix; & par conséquent, ne lui obéit qu'autant que ces loix le portent,

ac fluido nerveo celeritatem imprimere & directionem. Hoc quidem exinde, quoniam quasdam sequi videbant corporis mutationes, sicubi anima illas voluerit. Hic modus explicandi, ipsis influxus mutuus aut systema influxus physici audiebat. Inexplicabile quidem esse lubenter fatebantur, quomodo corpus, in quo sibi nihil præter extensionem concipiebant, ens inextensum & spirituale commovere possit; imo inconceptibile videri, quomodo spiritus, qui sine motu, in corpus agere, certumque in eo motum producere queat; interim tamen influxum mutuum ideo haud rejiciendum esse. Præjudicium enim hoc insigne, ea ut falsa rejicere, quæ nos nobis concipere non possumus, ita e. g. nec omnium mutationum in corpore ratio mechanica hodie datur, quis tamen inde concluderet? nullam dari. Structura enim corporis non satis explicata, nec motus leges omnes erutæ, nec claræ ubique adsunt experientiæ. Ne quoque sine omni fundamento defendant hanc sententiam, provocant ad experientiam (§. 5. 6. 7. 8.) in qua eam satis fundatam esse opinantur.

§. XXVIII.

Rejicitur, quoniam a nobis legi naturæ contrariatur, & principia contradictoria supponit. Sed eapropter Systema hoc non rejicitur, quoniam a nobis concipi nequit, sed ex longe aliis principiis. Naturæ leges enim exinde violantur, principiaque contradictoria assumuntur: LEIBNITIO id optime notante, (*) Est nimirum naturæ lex a LEIBNITIO detecta: eadem in

(*) Essais de Theodicée §. 61. p. m. 113. Car outre que l'influence physique de l'une de ces substances sur l'autre est inexplicable, j'ai considéré, que sans un derangement entier des loix de la nature l'ame ne pouvoit agir physiquement sur le corps.

in natura servatur virium quantitas, quam sæpius nominatus Celeb. WOLFFIUS (*) satis demonstravit. Jam quando anima motum imprimeret corpori, novus oriretur motus, qui antea non adfuit, & proportionatam vim motricem præsupponeret. Ita etiam si corpus efficeret cogitationes quasdam, motus aut vis quam supponit cessaret sine genito motu alio. Hinc legem naturæ hoc ipso violari certum est. Quoniam autem idem simul esse & non esse nequit, aut lex naturæ, aut influxus physicus rejiciendus, non illa, nam l. c. demonstrata est, ergo hic. Cum autem influxus hujus defensores legem naturæ quoque assumunt, hinc eos principia contradictoria supponere clarum est. Experientiam allatam quod attinet, ostensum quoque est (§. 9.) nos nullum influxum mutuum, sed duarum tantum rerum coexistentiam observare, ex quo autem concludi nequeat, unum mutationum in altero causam esse. Interim si cum vulgo loquendum nobis esset, dici cum LEIBNITIO (**) poterit, & corpus ab anima, & animam a corpore dependere idealiter, uti e. g. automaton aliquod a me depender, quod servi officium mihi præstat, respectu ejus quam de eo habeo scientiæ, ab eo interim, qui illud fabricaret, dependeret physice.

§. XXIX.

(*) Element. Mech. §. 425. 426.

(**) Essais de Theodicée §. 66 p. m. 116. C'est quel'une de ces substances dépend de l'autre idéalement, entant que la raison de ce qui se fait dans l'une, peut être renduë par ce qui est dans l'autre, ce qui a déjà eu lieu dans les decrets de Dieu, dès-lors que Dieu a réglé par avance l'harmonie qu'il y auroit entre elles.

§. XXIX.

*Cartesiani
animam
corpori,
corpus ve-
ro menti
ad muta-
tiones oc-
casionem
tantum
dare puta-
bant.*

CARTESIANI influxus mutui falsitatem agnoscentes ad divinam recurrebant voluntatem, rationem de commercio mentem inter & corpus reddituri. In hac **DEI** voluntate rationem dari putabant, ubi rerum natura & essentia haud sufficiunt. Hinc docebant corpus modificationibus mentis occasionem tantum dare, animam quoque, occasione mutationum corporis, has illasve sentire perceptiones. **DEum** interea semel pro semper lege fancivisse, ut duæ hæ substantiæ sibi invicem haud interrupta serie ad suas mutationes occasionem dent. In hanc delabi opinionem facile ipsis admodum erat, statuebant enim cum **CARTESIO** ideas arbitrarias, nullam veritatem necessariam, nullam ideæ cum re præsentata similitudinem, e. g. dolorem cum fibrillarum dilaceratione earumque oscillationibus nihil commune habere, sed **DEum** pro lubitu cuncta semper mutare. Concedebant equidem animam nullam habere in corpus potestatem, posse tamen lineam directionis in corporis motibus dirigere, prouti bonum ipsi videtur. Hoc equitis illustrant exemplo, qui equum ad nutum dirigit sine omni vi externa adhibita. Inter alios hoc statuit **CARTESIANÆ** doctrinæ defensor strenuus **MALEBRANCHIUS** (*), plurimi quoque eruditorum hodie adhuc pro ea militant sententia.

§. XXX.

*Rejicitur
quoniam
& ad
Spinozismum ducit,
& miracula continua
requirit.*

Interim nec hæc unquam probari potest sententia, sed falsa manet, (I) enim ad Spinozismum ducit, qui in eo consistebat, ut **DEum** & naturam pro una eademque haberet

(*) Entretien sur la Metaphysique, & lib. I. c. I. p. 5. n. 2. de inquirenda veritate.

beret substantia, quarum modificationes res corporeæ essent. (*) Nam nullum fere inter corporis aut animæ actiones, & inter effectus soli **DEO** competentes appareret discrimen, mundi aut animæ etiam natura, non nisi solo a **DEO** differrent nomine. Dum enim corpori aut menti omnis præcitur vis motrix, omnis discriminabilitas, omnis subsistendi ratio, nec anima nec corpus substantiæ amplius erunt, sed substantiæ alterius, **DEI** scilicet, modificationes; omnes item quæ corpori aut menti acciderent mutationes, an **DEO**, an vero utriusque, animæ sc. aut corporis, naturæ immediate adscriberem; unum idemque foret. Sic e. g. bibitio, pedum etiam aut brachiorum commotio, mentisque nostræ vires **DEO** immediate adscribendæ essent. (II) Continua statuenda essent miracula, ejusmodi enim orirentur mutationes, quæ nec in corporis nec mentis natura fundarentur, sic e. g. cum anima vellet, corpus locum mutare, modo miraculoso **DEus** pedes movere deberet, & contra brachium dum moveretur, certam **DEus** produceret necesse esset perceptionem, attollitione brachii conformem; quod tamen perfectionibus divinis & in specie ejus sapientiæ repugnat. Hac enim mediante **DEus** nihil frustra agit, nec per ambitus, quod brevioribus & simplicioribus fieri potest mediis. (§. 24.) **DEus** talis esset artifex qui e. g. horologiis quæ fecerat continuo adstare, motus impressionem reiterare, stylumque, ut temporis mutationibus concordaret, dirigere opus haberet

(*) Vid. A&T. Erudit. Lips. 1698. p. 439. ubi hoc **LEIBNIUS** tractatu ibidem recensito: de ipsa natura, **STURMI** Dissertationi Appologetica: de Idolo naturæ, opponit.

beret. Scio quidem MALEBRANCHIUM imprimis urgere: DEum utique quotidie miracula edere, sive e.g. sol motum suum semper observet, sive in contrarium moveretur, nam quoniam attributa divina specie non differunt, idem esse, an opus quoddam a sapientia, an vero a potentia divina procedat. Sed Resp. 1) nos non ea tantum vocare miracula, ad quæ DEus immediate concurrat, sed potius quæ nec in essentia nec natura rerum fundamentum habent, & talia quotidie non contingunt; DEus potius secundum leges a se naturæ semel præscriptas agit, consequenter naturaliter. Sic dum sol motu vertiginis movetur, (nullum enim motum alium illi tribuimus) miraculum nullum est, fit enim hoc secundum leges motus soli omnibusque corporibus coelestibus aliis semel præscriptas; aut si linea recta moveretur, aut curvam quamcunque aliam, præter eam, quam motu vertiginis facit, describeret, miraculum foret. Deinde 2) idem esse, an DEus secundum sapientiam, an vero secundum potentiam suam agat, verum est, quando de nuda rei possibilitate loquimur, neutiquam vero, quando de existentia ejusdem sermo nobis est. Nam hic sapientia divina omnia jam prævidit, & ut fierent præordinavit, sibi ipsi leges præscribendo, quas in naturæ ordine observari semel decreverat. Sapiens enim nihil frustra agit, consequenter nec DEus agere aliquid frustra poterit, potentia interim divina semper salva manet, nam & hæc in iis quæ sapienter ordinata sunt adesse debet. (*)

Acce-

(*) BAILIUS Diction. Hist. Crit. tit. Rorarius fol. 2610. in systemate causarum occasionalium miracula continua fieri negat. Concipit enim sibi eadem ut exceptiones a regulis generalibus,

Accedit 3) longe melius cum divinis concordare perfectionibus, si opus aliquod a sapientia & potentia divina simul proficisci dicamus, quam si illud soli potentiae DEI adscribamus.

§. XXXI.

(III) Dicit quidem CARTESIUS: Materia subtilis *ulterius* in cerebro continuo movetur; adeoque eandem semper *deducitur* fervari motuum quantitatem, & sic naturæ legem equidem *Responsio.* in salvo manere, DEum vero in gratiam mentis motuum saltem mutare directionem. Ast secundum naturæ legem eadem non motuum, sed virium servatur quantitas, imo etiam eadem directio (*), licet non in uno eodemque sub-

E 2 jecto,

quas DEus naturæ præscripsit; postea autem, ut controversiam abrumpat, concedit, que le moïen le plus sur d'écarter toutes les idées de miracle est de supposer que les substances créées sont activement les causes immédiates des effets de la nature. LEIBNITIUS huic objectioni in prima editione Dictionarii contentæ jam respondit, in historia Operum sapientum (histoire des ouvrages savans an. 1698. Juill.) il ne suffit pas de dire que Dieu a fait une loi générale, car outre le décret, il faut encore un moyen naturel de l'exécuter, c'est-à-dire, il faut que ce qui se fait, se puisse expliquer par la nature que Dieu donne aux choses e.g. si DEus ordinasset corpus in linea circulari se movere debere, medium quoque ordinasset, per quod hoc fieret, naturæ enim motus contrariatur, où le corps quitte toujours la ligne circulaire, pour continuer dans la droite tangente, si rien ne le retient. vid. Essais de Theodicée p. 355. §. 355.

(*) LEIBNITIUS duas has invenit veritates dum CARTESII principium: eandem fervari motuum quantitatem refutaret, vid. Essais de Theodicée p. 113. §. 61. & p. 346. §. 345. ubi

jecto, tamen in tota natura, demonstrante Celeb. WOLFFIO in Element. Mech. l. c. Ad equitis exemplum LEIBNITIUS respondit (*), illud huc non quadrare; etenim equus dirigitur ab equite mediante freno, virgula, calcari-bus &c. ut ejus obediat voluntati; Instrumenta vero talia nec in mente nec in corpore i. e. neque in cogitationibus, nec in corporis dantur mutationibus, quibus id perficitur, Reliqua principia accuratius ut examinarem a scopo alienum prorsus esset. Denique (IV) sæpius citatus WOLFFIUS ostendit causarum occasionalium hypothesein jam cognitis contradicere veritatibus. (**) Demonstrat enim in antecedentibus, & simplicibus & composi-tis, quale est corpus nostrum, principium aliquod suarum mutationum competere, adeo, ut ex propria sua vi quas-dam habere queant mutationes. Cum vero ex dicta hy-pothesi sequatur, nec simplicia nec composita aliquid ex propria sua vi agere posse, idem vero simul esse & non esse nequeat; Ergo hypothesis hæc OCCASIONALISTARUM necessario falsa erit Ut tandem (V) aliquid dicam de divina voluntate, ad eam non nisi in generalioribus provocandum est. In casibus enim specialioribus invenimus rationes sufficientes in hoc universo. Neque tamen in omnibus generalioribus ad DEI voluntatem provocandum est, sed tantum

dicat eas ab amicis laudatas & approbatas nondum vero publi-catas jam esse. Mentionem quoque earum facit in ACT. ERUD. LIPS. ao 1698. p. 429. & in histoire Critique de la Republ. des lettres Tom XI. p. 90.

(*) Essais de Theodicée p. 112. §. 60.

(**) Metaph. §. 106. 744.

tantum ubi de existentia rei cujusdam sermo est. Nam quando de possibilitate loquimur, ratio in intellectu divi-no quærenda erit.

§. XXXII.

Nunc potissima quoque, quæ BAILIUS contra har-
moniam præstabilitam urget, rimanda sunt, & quidem *Bailius*
initio dicit: (*) LEIBNITII harmoniam æque impossibi-
lem aut inconceptibilem esse, ac si mihi navem imaginarer, *moniam*
quæ sine omni de navigatione sensu, ac directore, propria *præstabili-*
vi portum destinatum intraret. Supponite, dicit: illam *tam im-*
per plures annos in continuis a se ipsa dirigi fluctibus, an-
choram mari ubi necesse est injicere, seque vento impe-
tuosiore ad oportunum recipere portum; imo pro diversa *possibilem*
aëris temporisve temperie cursum suum mutare & situm; *esse; quod*
nonne fatendum erit, talem navi vim nec ab ipso DEO *simili de*
posse concedi? Et tamen harmonia præstabilita æque im-
possibilis. Rem in exemplo applicat: Julii Cæsaris *nave illu-*
corpus, inquit, secundum harmoniam præstabilitam vi *strat.*
motrice sua omnes quas ab ipsis incunabulis ad ultimum
vitæ momentum ipsi accidere poterant mutationes ita
ordinasset, ut una post alteram indivulso semper sequatur

E 3

nexu,

(*) Mr. BAILE Diction. Hist. Crit. l. c. dit: figurés vous un vaisseau qui sans avoir aucun sentiment, ni aucune connoissance & sans être dirigé par aucun être ou crée ou incréé, ait la vertu de se mouvoir de lui même si a propos, qu'il ait toujours le vent favorable, qu'il évite les courans, & les écueils, qu'il jette l'ancre où il le faut, qu'il se retire dans un havre précisément lorsque cela est nécessaire - - vous conviendrés que l'infinité de Dieu n'est pas trop grande pour communi-quer à un vaisseau une telle faculté.

nexu, & quidem harmonice cum quadam anima quam nunquam noverat. Prædeterminatum quoque Cæsari esset, ut statis diebus certisque diei horis senatum adiret, ibidem sententiam diceret ac leges ferret, etiamsi DEO vel maxime placuisset animam ejus corpori concessam altero post nativitatem momento annihilandi, tamen corpus se mutaret, modificaretque secundum cogitationum voluntatem hominis hujus ambitiosissimi.

§. XXXIII.

Impossibilitas nulla adest, nisi scholastica qualitas occulta intelligitur.

Impossibilitatem simile illud de nave nullam involvit, nisi SCHOLASTICAM quandam vim, aut qualitatem occultam navi inesse velis, nam de hac navis perfectione ratio nulla dari posset. Quare excellenti artifice esset impossibile, tale producere Automaton, talem machinam, quæ per regulas mechanicas & artificia, intra certum temporis spatium civitatem percurreret, inque platearum finibus cursum sisteret, aut retro continuaret? Nonne adeo excellens cogitari potest ingenium, quod resolutio problemate geometrico-mechanico structuram, artificia, effectus, cursum, & machinæ paulo ante nominatæ & navis prædictæ invenire, ac determinare possit ad innumera accidentia? (*) Bibliotheca Batavorum Leidensis tale

(*) LEIBNITZ hist. Crit. de la Republ. des lettres Tom. XI. p. m. 82. dicit: Il n'y a point de doute qu'un homme pourroit faire une machine capable de se promener durant quelque tems par une ville. Un Esprit, incomparablement plus parfait, quoique borné, pourroit aussi prévoir & éviter un nombre incomparablement plus grand d'obstacles - de sorte que cet Esprit pourroit non seulement fabriquer un vaisseau, capable d'aller tout seul à un port nommé, en lui donnant d'abord le tour, la direction & les ressorts qu'il faut,

tale possidet Automaton, quod coeli mutationes omnes, corporumque coelestium motum ac situm singulis diei horis, tempus, annum, mensem, per multos annos serie haud interrupta accuratissime ostendit. (*) Unde si tale quid DEum præstare non posse nobis imaginaremur, DEO imperfectiones tribueremus, quod absit. Julii Cæsaris exemplum conceditur ut absurda nulla continens. Et enim ostendimus corporis affectiones omnes ex essentia ejus & natura deduci posse (§. 14. 15. 17.), quemadmodum omnia, quæ menti accidunt, in natura animæ fundata sunt. (§. 20. 21.) Et sic utique divina sapientia corpus Cæsaris ita composuit, ut ex essentia ejus fluentes mutationes cor- respondeant animæ suæ modificationibus. Corpus ea quidem, quæ ipsi accidunt, ignorat, DEus tamen supplevit id quod ipsi deest. Liceat adhuc una vice exemplo de Automato famulum repræsentante uti. Machinam corporis ut tale mihi concipio Automatum famulum repræsentans, quod ad nutum Domini omni momento ita compositum est, ut sine ullo mandato non hujus solum, sed & omnium dierum per totam servitutem officia ad domini sui voluntatem exactissime exequi possit. Anima autem ut dominus, in hoc simili, nihil sine ratione aut inordinate ageret; sed potius suo se accommodaret famulo, quo adeo

(*) STURMIUS in Phys. Elect. seu Hypoth. Tom. I. Noriberg. 1697. 4. p. 180. machinæ hydraulicæ mentionem facit, quæ, aqua auxiliante, avicularum voces, consonantias musicas, omniumque animalium incessus repræsentabat. Præter hoc automaton idem auctor Compend. Phys. mod. sanior. Noriberg. 1704. 8. p. 652. unum adhuc nominat, quod salutationem Mariæ angelicam repræsentabat.

adeo continua semper harmonia in officiis ab utroque præstandis adesset.

§. XXXIV.

Non concipit Bailius variationem cogitationum mentis.

Concipere sibi porro nescit BAILIUS (*) quomodo possibile ut anima quæ simplex, indivisibilis, immaterialis est, cogitationes perceptionesque suas variare, & statim e.g. post lætitiâ doloris ideam habere queat. (**) Etenim illam atomo EPICURI comparat, quæ in vacuo posita nullam aliam allidere potest, licet principium motus in se habeat. Jam cum atomus ista secundum LEIBNITIUM (***) aut in eadem in qua est quiete, aut in eodem motu per-

(*) l. c. Fol 2611. n. 5.

(**) LEIBNITIUS au Journal des Savans 1698. p. 427. dixerat, animam principium mutationum suarum in se habere, seque sua sponte ad hoc illudve determinare, licet nullum adesset corpus. His BAILIUS in priori Dictionarii sui editione inconceptibilitatem objiciebat, quoniam omnis res in statu eo in quo est permanet, nisi sit quod impediât. Regerebat iterum LEIBNITIUS principium illud concedendo, Histoire des ouvrages Savans, Juillet 1698, ostendendo naturam substantiæ creatæ continuo certum sequi motus ordinem, per quem libere ad omnes ejus status devenit. Ad hoc tandem replicabat BAILIUS in altera Dictionarii sui editione animam atomo Epicuri comparans, on ne voit pas si la première pensée c'est un sentiment du plaisir pourquoi la seconde ne sera pas aussi un sentiment du plaisir.

(***) Histoire des ouvrages savans l. c. une chose demeure toujours dans l'état où elle est une fois, si rien ne survient qui l'oblige de changer. Exinde quoque concludit: non seulement qu'un corps qui est en repos sera toujours en repos, mais aussi, qu'un corps qui est en mouvement, gardera toujours ce mouvement, c'est-à-dire la même vitesse la même direction, si rien ne survient qui l'empêche.

permanere debet, nisi obstaculum aliquod adsit; obstaculum vero nullum adesse potest, nam est in vacuo, nec elasticitatem habet, est enim absolute unum. Ergo nec mens nostra cogitationes suas variare potest, sed si initio lætitiæ sensum habet eum postea semper retinebit. Causa enim manet eadem, hinc nec effectus mutari potest, neque novam cogitandi facultatem recipit. Dicis: anima in motu semper est. Resp. Uti atomus dum se in eadem linea recta movet, novum equidem sibi acquirit situm; sed priori similem, ita mentis cogitatio una cum altera minimum affinitatem quandam habeat necesse est. Exemplo Julii Cæsaris rem hanc iterum illustrat: forte, dicit ipsi sæpius accidit dulcedine lactis materni fruendi ut acus ictum sentiens voluptatem cum dolore permutaret, unde hoc? (*)

§. XXXV.

Varia objectionibus istis opponi possunt. Initio non nisi sensuales aut imaginarii res prorsus immateriales sub imaginibus sibi representant. Deinde etsi vel maxime BAILIO concedamus, esse in quibusdam atomo Epicuri

Varia hujus dubii solutio.

F cum

(*) BAILIUS l. c. f. 2612. Il lui arriva sans doute plus d'une fois d'être piqué d'une épingle pendant qu'il tectoît. Il faut donc suivant l'hypothèse que l'on examine ici, que son âme se modifiât elle-même d'un sentiment de douleur, après les perceptions agréables de la douceur de lait, qu'elle avoit eues deux ou trois minutes de suite. Par quel ressort fut-elle déterminée à interrompre ses plaisirs, & à se donner tout d'un coup un sentiment de douleur, sans que rien l'eût avertie de se préparer au changement, ni qu'il se fut rien passé de nouveau dans sa substance.

cum mente nostra convenientiam, tamen ab ejus attributis adea, quæ menti conveniunt, non valet consequentia, Atomus enim adhuc ex materia constabit, licet ut minutissimum punctum illam considerare velis; quomodo ergo ab eo quod materiale est ad immateriale, a divisibili ad indivisibile concludis? Porro quemadmodum atomus si in vacuo esset, uniformiter & sine omni impedimento eandem retineret directionem, etiamsi situm mutaret, ita anima eandem haberet cogitationum seriem si nullus unquam mundus extirisset. Neque causa totalis semper eadem, habet enim anima conatum continuum statum suum, sive seriem cogitationum suarum mutandi (§. 19. 20.), inde ut novam iterum cogitandi facultatem recipiat, necesse non est. Tandem ut modum, quo mens ab una ad alteram devenit cogitationem, intelligamus, notari velim, animæ talem a DEO concessam esse vim, sibi juxta statum corporis sui in mundo representandi universum. (§. 20.) Jam quoniam vis aliqua continuo statum suum mutare nititur; est enim principium & fons omnis mutationis, & imaginationes imo cogitationes nostræ omnes a sensuum perceptionibus ortum trahunt; hinc aliæ atque aliæ oriri debent cogitationes, prouti mutato corporis situ aut loco alias atque alias res percipimus. Cogitationes semel inceptæ continuantur, partim per regulam imaginationis, mediante scilicet similitudine perceptionum præsentium, cum istis quas alia vice habuimus; partim per syllogismos, ubi præmissarum una alteram nobis in mentem revocat, ex quibus tertia tandem concluditur; partim etiam, quoniam in universo alius atque alius rerum quas percipimus status est. (§. 20.) Inde quoque facile apparet, quomodo anima Cæsaris im-

mediate

mediate post voluptatis sensum ex lacte matris perceptum, dolore affici poterat, cum ejus corpus acu pungeretur. (*)

§. XXXVI.

LEIBNITIUS dixerat (**) Substantiæ alicujus animalis legem motus illud a voluptate ad dolorem ducere, eo momento ac in corpore continui fit solutio, vult enim ista lex ut omnia represententur in mente, quæ in corpore & respectu hujus in universo fiunt. Contra hæc BAILIUS urget (***) legem quidem dari, de ejus tamen executione quæstionem esse. Et cum LEIBNITIUS dicit animam legis hujus executorem esse, BAILIUS urget, non dari in anima ejusmodi instrumenta, quibus hoc efficere possit.

F 2

Fingit

(*) L'état de l'ame comme de l'atome est un état de changement, une tendance l'atome tend à changer de lieu, l'ame à changer de pensée. Mais d'où vient tant de simplicité dans le changement de l'atome & tant de variété dans les changemens de l'ame? c'est que l'atome (tel, qu'on le suppose, quoi qu'il n'y ait rien de tel dans la nature) bien qu'il ait des parties, n'a rien qui cause de la variété dans sa tendance, parcequ'on suppose que ces parties ne changent point leurs rapports; au lieu que l'ame, toute indivisible qu'elle est, renferme une tendance composée, c'est-à-dire une multitude de pensées présentes, dont chacune tend à un changement particulier, suivant ce qu'elle renferme tout à la fois en vertu de son rapport essentiel à toutes autres choses du monde. Et la raison du changement des pensées dans l'ame est la même que celle du changement des choses dans l'Univers, qu'elle représente. Car les raisons de Mécanique qui sont développées dans les corps, sont réunies & concentrées dans les ames. Tom. XI. p. 95. 96. de l'Histoire Critique de la Républ. des lettres.

(**) Hist. des ouvrages savans l. c.

(***) l. c. fol. 2512. n. VII.

Fingit sibi animal (semper enim sub imaginibus res sibi repræsentat) a DEO ad cantandum creatum, quod procul dubio semper cantaret; ast si DEUS certos ipsi quos cantaret destinasset modos, necessarium foret, ut illos vel ejus subjiceret oculis, vel memoriæ imprimeret. Et sic putat animam quoque si legem imo cogitationum ordinem observare vellet, instrumentis opus habere. Cum autem in ens simplex nulla cadat compositio; hinc neque instrumenta quædam animæ affingenda esse putat, consequenter legis mutationum suarum executorem non esse animam.

§. XXXVII.

Instrumenta quorum ope ab una ad alteram devenit mens nostra cogitationem, sunt cogitationes præsentia. Sed facile prævidit BAILIUS hæc non adeo strigentia esse, unde LEIBNITII responsiones ipse subjungit. Instrumenta, quorum ministerio anima cogitationum seriem mutat, sunt cogitationes præsentia (*); de his enim originem trahunt sequentes. (§. 35.) Nec obstat cogitationes nostras parum distinctas esse, sufficiunt enim & confusæ, siquidem anima alias DEUS esset, nam is solus omnia distincte & perfecte una cognoscit, possibile & existens, præteritum, præsens, & futurum, anima vero illum tantum, quantum possibile est, imitatur. Neque etiam animæ simplicitas obstat, quo minus cogitationes nostræ compositæ sint, quælibet enim perceptio præcedens affinitatem habet BAILIO testante cum sequentibus, illo qui in perceptionibus est ordine observato. Anima itaque talem re-

(*) Histoire Crit. de la R. des L. p. 98. ces sont des pensées présentes, dont naissent les suivantes; & on peut dire, qu'en elle, comme par-tout ailleurs le présent est gros de l'avenir.

repræsentaret musicum, qui statis diebus in templo aut alio loco publico notas sibi præscriptas & modos decantat.

§. XXXVIII.

Præter BAILIUM & Mr. PARENT, occasione ultimo conjecturarum de unionem animæ ac corporis R. P. TOUR-*aliorum qui* NEMINE, harmoniæ præstabilitæ oppugnavit Systema. (*) *harmoniam præstabilitam oppugnamus mentis sit.* Sed cum tum temporis ipsius veritas nondum satis perspecta esset, oppositiones ejus nullius sunt ponderis. Defendit enim ibidem, CARTESIANOS jam docuisse harmoniam præstabilitam, LEIBNITIUMque negare veretur omnem DEI concursum immediatum. Sed primum quod attinet partim BAILIUS (**) celebris alias CARTESIANÆ doctrinæ admirator; partim ocularis dictæ doctrinæ inspectio, contrarium docent. Alterum vero ex omnibus LEIBNITII scriptis ostendi nunquam poterit. Deinde & BERNHARDUS LAMI. (***) dubia quædam movit, quorum solutionem BAILIUS l. c. a LEIBNITIO desiderat.

F 3

(*) R. P. TOURNEMINE Conjecturas suas de unionem animæ & corporis diario Trevoltienfi 20. 1703. M. Maj. & Jun. articul. 91. infererat, in quibus LEIBNITII hypothesin assumpserat. Hunc inter alios refutat Mr. PARENT. Memb. Soc. Reg. scient. in disquisitionibus Math. & Phys. (recherches de Mathématique & Physique) Paris. 1705. 12. Tom. I. vid. Tom. 4. Sect. I. Supplementorum Act. Erudit. Lips. p. 26. 27.

(**) l. c. Fol 2512.

(***) Traité 2. de la Connoissance de soi même. Paris. 1699. pag. 225-343.

rat. Sed forte neque hæc aliquid in recessu habebunt. In defensione germanica harmoniæ præstabilitæ nuperime Lipsiæ edita dicit quidem LEIBNITIUS , se ad LAMII objectiones jam respondisse ; nullus tamen locus appositus ibidem est , ubinam illud factum , forsan in litteris ad amicos illud præstitit. Imo dicit : (*) LAMII dubia male intellectis verbis suum debere ortum. Equidem lubens fateor LAMIUM h. l. videre mihi haud contigisse omni licet studio adhibito , interim si ea mihi tandem continget felicitas , data occasione , objectiones ejus , si operæ pretium fuerit , publice peculiari dissertatione examinare nunquam intermittam.

(*) Vid. Monadol pag. 101.

